tavit. et aliquando apud eum
commoratus est. Temptavit autem
idem hylarius imposi-
to diaconii officio: sibi eum
artius implicare. et ministerio
vincire divino. Sed cum sepis-
sime restitisset. indignum se
esse vociferans: intellexit vir
altioris ingenii hoc eum modo
posse constringi. si id ei officii
imponeret: in quo quidam lo-
cus iniurie videretur. Ita ex-
orcistam eum esse precepit. Quam
ille ordinationem non despexis-
se tamquam humiliorem videretur:
non repudiavit. Nec multo
post admonitus per soporem. ut
patriam parentesque quos adhuc
gentilitas detinebat. religiosa
sollicitudine visitaret: ex vo-
luntate sancti hylarii profectus est.
adstrictusque ab eo multis pre-
cibus et lacrimis ut rediret: me-
stus ut ferunt peregrinatio-
nem illam aggressus est. conte-
status fratribus multa se adversa
passurum. quod postea probavit
eventus. Ac primum inter al-
pes devia secutus: incidit in
latrones. Cumque unus securi
elevata in caput eius libr-
asset ictum ferientis dexteram susti-
nuit alter. vinctis tamen post

tergum manibus uni servandus
et spoliandus traditur. Qui
cum eum ad remotiora duxisset:
percunctari ab eo cepit quisnam
esset. Respondit christianum se esse.
Querebat etiam ab eo an ti-
meret. Tunc vero constan-
tissime profitetur. numquam se tam
fuisse securum: quia sciret mi-
sericordiam domini maxime in tem-
ptationibus adfuturam. seque
magis illi dolere. qui christi misericordia
utpote latrocinia exercens
esset indignus. Ingressusque
euangelicam disputationem:
verbum dei latroni predicabat.
Latro credidit. prosecutusque mar-
tinum vie reddidit: orans ut pro
se dominum precaretur. Idemque
postea religiosam agens vitam
visus est: adeo ut hec que supra
rettulimus ab ipso audita dicantur.

Martinus igitur Lc. vii.
obitum suum longe ante
prescivit: dixitque fratribus dissolu-
tionem sui corporis imminere.
Interea causa extitit: qua con-
datensem diocesim visitaret.
Nam clericis ecclesie illius
inter se discordantibus pacem
cupiens reformare: licet finem
dierum suorum non ignoraret: pro-
ficisci tamen ob istiusmodi causam